


**Rector Universitatis Tubingensis L.S. De Jure quidem idiomatis, uti vocant, in republica literaria in quaestionem venire possunt varia ... : P.P. Ipsa Dom. Palmarum A. MDCCXV.**

Tubingae: Sigmund, 1715

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn828645183>

Druck Freier  Zugang







## Contenta :

1. Joh. Georg. Hagelgans, Orbis Literatus academicus Germanico-Europaeus  
cum sigillis academiarum, earundemq; facultatum  
1737.
2. Varia academica, academias Francofurt. ad O. 2. Goettingensem  
3. Kilon. 4. Tubingens. 5. Regiomont. 6. Gryphiswald. et  
7. Halensem concernentia.
3. Zugänglich von der Inauguration und Festschrift des Gymnasii Erne-  
stini zu Zilberberghausen, 1714. aliq; plura.  
et quaedam alia pp.



Te

*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]*

et unquam alia

# RECTOR UNIVERSITATIS TUBINGENSIS

L. S.



**D**E Jure quidem idiomatis, uti vocant, in republica literaria in quaestionem venire possunt varia: illud autem non postremum est, de quo nostra cum primis aetate inter se controversantur Viri eruditi, an sprete repudiataque Lingua illa Eruditorum communi, Romana, quae cum Graeca dudum docta vel ideo vocari meruit, quod in eruditorum commercio versata, eaque Doctrinae melioris praecipua & olim tradita sunt, & adhuc a plerisque tradi moris fuit per totam propemodum Europam, Linguis Vernaculis doctrinam rerum tractari, vel scribendo, vel publice privatimque docendo, expediat Rei Literariae? Quo id successu & alibi locorum, & in Germania praecipue nostra obtinuerit passim ac invaluerit, judicent alii. Nos interim Celeberrimi Jo. Christophori Becmanni iudicium ex Dissertatione ejusdem de Jure idiomatis A. MDCCXXXIX. habita Francofurti ad Viadrum, C. II. n. I. mutuamur, nostrumque plane facimus, ac putamus, id ejusmodi omnino esse, ut in hac quaestione insuper haberi non debeat. Ita vero ille: Et quem, inquit, hodie Latina Lingua delectat, extra ordinem literarium non datur: in ipso etiam hoc ordine quam pauci sunt, qui ejus usu adhuc gaudent? imo quot e contrario sunt, qui sine ea se satis doctos fore sibi promittunt. Qui licet non plane frustra sint; cognitio rerum enim nulli particulari Linguae alligata est: non advertunt tamen, se communione tot gentium semetipsos privare, & loco unius Latinae Linguae plurimum Linguarum discendarum necessitati se adstringere, Gallicae, Anglicae, Italicae, Hispanicae: Nam omnes hi populi rem literariam Linguis suis Vernaculis tractant, quod unius Linguae Latinae ministerio & longe majori cum incremento rei literariae fieri potuisset, si illa Lingua doctrinae ministra, ut praeterito Saeculo, mansisset. Huic vero sententiae, re in utramque partem curatius ponderata, Oratione auspicali suffragabitur quoque Vir Nobil. atque Excell. Dn. IOANN GOTTLIEB HÆRLIN, Juris extra ordinem non ita pridem a Serenissimo Academiae hujus Nutritio singulari gratia constitutus Professor: quippe qui argumentum dicendi tempori non minus, quam muneri ac instituto suo accommodatum, hoc ipsum sibi delegit, & de nostrae Vernaculae literario ac philosophico usu praecipue ita differere constituit, ut disquirat, in praelectionibus Academicis, cum publicis, tum privatis, utrum Vernaculae potius, an Latinae, locus esse debeat? Id ergo quum copiose demonstraturum se publice polliceatur, nos longiori superfedere praefatione merito debemus, ac proinde, ut recepto inter nos mori satisfiat, non nisi vitae studiorumque curriculum, iisdem fere ac totidem verbis, quibus ipse illud est complexus, hic exhibemus. Edidit autem eum in haec lucem ipsa inclyti hujus Ducatus urbs primaria & Principum sedes, Stutgardia, Anno Orbis redempti post millesimum sexcentessimum nonagesimo, VII. Calend. Aug. Patre quidem Viro Nobil. Experientissimo atque Excellentissimo, DN. IO. CASPARE HÆRLINO, Medicinae Doctore, ac Physico primum Nürtingensi, mox vero Serenissimae Domus Wirtembergicae Consiliario & Archiatro nunc in septimum usque lustrum dexterrimo, nec non Collegii Medici & Sanitatis, quod Stutgardiae est, Seniore gravissimo: Matre autem matrona a pietate ceterisque sexus sui virtutum praeconiis commendatissima, DN. JOANNA ANTONIA, Viri pariter Nobil. Experientis. atque Excellentissimi, DN. GOTTLIEBII BREUNINGII, Medicinae Doctoris, Consilarii & Archiatri Wirtembergici meritis, ut & in laudato Collegio Medico olim Primarii, filia. Avum paternum nactus est Virum Amplissimum & Consultissimum, DN. IO. GEORGIUM HÆRLINUM, Consulem Goeppingensium seniore, Selectiorisque Ordinum Provincialium Senatus & Supremi inter nos provocationum Tribunalis Adfessorem prudentissimum. Hisce natus Parentibus, suoque Servatori in sacro fonte consecratus, a sollicita Deique amantissima matre in vera pietate morumque probitate fuit educatus: illa vero in tenella adhuc aetate praematura morte erepta, privatis traditus est praceptoribus, sub quorum aequae ac paterno pollice, cum ad verum Numinis divini cultum, tum ad artes moresque meliores, fundamenta jecit. Reliqua studia in Illustri, quod Metropolis nostra alit, Gymnasio profecutus sub cura ductuque Praceptorum ac Professorum tam de re, quam pube literaria meritis, singulari plane ac tantum non paterno adfectu usus est Viri plurimum Reverendi atque Clarissimi, DN. M. Tobiae Meureri, Rectoris ibidem fidelissimi, Cognatique sui honoratissimi. Hujus Lycei classes felici brevitate & alacri studio emensus, absolutis maximam partem Philosophicis aequae ac Philologicis studiis, habitaque publice Oratione, inde discessit, & in hunc Patriae Heliconem, charissimi Parentis iussu, se contulit anno hujus Saeculi Octavo, ubi per annos priores duos hospitio exceptus est Viri Nob. Consultis. atque Excell. Dn. Jo. Henrici Boehmii, U. J. D. Consilarii Wirtembergici, & Supremi Dicastarii Adfessoris gravissimi, Patroni atque Cognati sui post fata quoque colendi. Reliquo tempore inter lucris sui literarii praecipuas accessiones numerat, & hodieque grato veneratur animo, venisse in aedes, & convictum Consultissimi atque Excellentissimi Dn. D. Grassi, utpote quem non hospitem modo benignissimum ac humanissimum, sed & Praeptorem ac in studiorum cursu ductorem expertus est fidelissimum, & in hunc usque diem Patronum colit maximum. Integrum autem, & quod excurrit, quinquennium hic commoratus, in morum disciplina Excell. Dn. Prof. Roeslerum, celeberrimi Buddei Philosophiam Practicam examinando ac disputando solide explicantem, nec non Excell. Dn. D. Harpprechtum Juniore, Jurisprudentiam Universalem ex Grotio ad ductum Viriarii publice tradentem, & privatim in literas publicas hebdomadarias ex eadem disciplina differentem, audivit. Physicam in Excell. Dn. Prof. Creulingii, Historiam vero Excell. Dn. Prof. Neui scholis privatis hausit. Juris autem Civilis, Publicique & Feudalis, nec non Canonici doctrinam in publicis non minus, quam privatis praelectionibus imbibit, & ad moderandas studiorum rationes in Institutionibus Justinianæis, nec non Collegio Disputatorio, delegit primum Excell. Dn. D. Moeglingum: quo Praeside Cyclicas quoque ex materia Ultimarum Voluntatum theses publice defendendas suscepit. Juris Canonici interpretem adiit Excell. Dn. Doctorem Majerum, qui in Jo. Arnoldi Corvini Aphorismos commentabatur. Excell. Dn. D. Grassus non in uno tantum Institutionum Collegio, disputandi examinandique causa instituto, & publicis commentationibus in Tit. Pandect. de O. & A. sed & binis Actionum, integroque Pandectarum, Collegiis magis magisque adnitentem ad majora diligenter adjuvit & confirmavit. Idem quoque, utpote quem praecipuum duce sibi devinxerat, privatissima ei institutione & usum fori tradidit, & Jus nostrum Provinciale explanavit, & duarum Praeses Disputationum fuit, quarum altera Collationum Juris Civilis cum Recessibus Imp. R. G. Sectionem quintam constituit, altera vero auspicalis, pro summis in utroque Jure consequendis honoribus, Cessionem Juris retractus enodavit. Jus Publicum bis privatim, Feudale autem publice docentem auscultavit Magnificum nunc Universitatis Rectorem Dn. D. Schvederum, qui pariter instituendo omnes fidei diligentiaeque numeros implevit, & spatia ampli insignisque studii designavit fideliter ac solide. Tandem B. Dn. Doct. Harpprechtus Senior, cujus memoriam semper aestimatissimam sibi ac sanctissimam esse profiteretur, uti solidissima, ita fidelissima institutione ultimum cursui juridico pondus addidit, dum Pandectas explicando non minus, quam examinando, eo amplissimo cum fructu ipsi inculcavit, ut, media vix parte absoluta, non dubitaret tamen & privatum & publicum subire examen. Ita vero relicta Tubinga nostra Wezlariam, summi in Imperio Tribunalis sedem, salutavit, Praxi, quam vocant, Camerali operam daturus. Hic exacto semestri mox laetissimos & dulcissimos studiorum fructus percepit, dum Serenissimus Princeps ac Nutritus hujus nostrae Eberhardinae clementissimus extraordinariam Juris Professionem absenti commisit. Cui noviter impetratae Sparta, suo tempore exornanda, ut eo aptiorem se redderet, peregrinandum sibi ratus, iter per potissimam totius Germaniae partem Bataviamque suscepit, ac plurimas Academias hinc inde, Gissenam nimirum, Marpurgensem, Jenensem, Lipsiensem, Hallensem, ac Vitembergensem, cum Francofurtana, nec non Ultrajectinam ac Lugdunensem vixit, plurimorum Virorum doctorum & Professorum celeberrimorum favore singulari exceptus. Ad extremum Vindobonam petiit, & ut Judicii Imperialis Aulici Usum, seu Praxin, uti adpellare solent, cum Camerali conjungeret, aliquamdiu commorari ibidem e re sua existimavit. Nunc in patriam redux in eo est, ut ad proximum Diem Martis, qui sextus decimus Aprilis in fastis nostris est, habita Hora IX. auspicali oratione, Serenissimi Nutritii iussu delegatum sibi munus capeat. Nos autem, ut & praesentiam suam, & in audiendo benevolentiam omnium Ordinum Procures ac Cives, & quicquid in hac Civitate literis favet, commodare novo Dn. Professori dignentur, officiose ac perquam decenter rogamus. PP. Ipsa Dom. Palmarum A. MDCCXXV.

TUBINGÆ, Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

UNIVERSITÄTIS TURINGENSIS

RECTOR

A. S.



Iure quidem idiomatis, uti vocant, in republica literaria in quaestione ventripotiss...

VERVOR, Luch JESSEPH SIGMUNDI





postquam feliciter obtinisset, Examinibus pro more Facultatis Nostræ exantlatis Disputatione secunda de *Thejibus quibusdam Miscellaneis* conscripta & publice defensa *Licentiam* summi inter nos Honoris accepit. Qui cum ad diem 18. Februarii horamque Matutinam 9. his *quatuor Dnm. Candidatis*, ut actu conferatur, decretus sit: Nos ex omni Ordine atque Facultate Patronos, Fautores, ac Cives nostros officiosissime invitamus. P.P. sub Sigillo Facultatis Dominica Sexagesimæ Anno M. DCC. XVI.



CELEBRABITUR HIC ACTUS,  
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
*Viro Summe Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo,*  
**DN. JOH. CHRISTOPHORO PFAFFIO,**  
S.S. Theol. Doctore & P.P. Famigeratissimo, Ecclesiæ Tubingensis  
Decano, & Illustris Stipendii Superintendente Gravissimo.

CANCELLARIO UNIVERSITATIS EMINENTISSIMO,  
*Viro Reverendissimo, Amplissimo & Excellentissimo,*  
**DN. JOH. WOLFGANGO JÆGERO,**  
S.S. Theol. & Controversiarum Professore longe Celeberrimo, Sereniss.  
Würtemb. Ducis Consiliario, Generali Superintendente & Cœnobii Adel-  
bergenfis Abbate Gravissimo.

FACULTATIS DECANO SPECTATISSIMO,  
*Viro Nobilissimo, Excellentissimo, Experientissimo,*  
**DN. ELIA CAMERARIO,** Med. Doct. & P. P. O. celeberrimo;  
Sereniss. Ducis nostri Archiatro fœlicissimo.

PROMOTORE,  
**JOH. ZELLERO,** Med. D. ac P. P. O. Sereniss. Württemberg. Ducis  
& Oetingiæ Principis Consiliario & Archiatro.

Literis HIOBI FRANCKII.

